


AVIC
DE
CORD

PRINCIPIS

AVICENNAE MAVRITANI,

De Corde, eiúsque facultatibus libellus,

Ioanne Bruyerino, Campegio, Lugdunensi, interprete.

LVGDVNI

EXCVDEBAT NIC. EDOARDVS,

M. D. L IX.



Ioannes Bruyerinus, CAMPEGIVS,

Hieronymo Montuo, Regio Medico undecunque doctissimo Salutem.





OLENT plerique omnes literarum professores, HIERONYME doctissime, cùm ingeniorum suorum fœturam in lucem edere volunt, aliquos principes, aut magnates quærere: quorum nomine, tanquam tutelari numine, adiuuetur. Profectò ingrati animi esse duco, atque ignobilis, eos, à quibus nostra studia promota sunt, silentio prçterire. Quis, quæso, Franciscum illum regem verè Maximum, disciplinarum omnium atque bonarum artium parentem & fautorem nostro æuo suis in scriptis omiserit? quis etiam Henricum

regem eius filium prætermittat? qui vestigiis paternis insistẽs, Musas in Gallia liberalissimè solatur ac fouet. Hi, ita me Deus amet, principes dignissimi habẽtur, quib. literatissimorũ egregia monumenta dedicentur. At video passim (prô dolor!) viris à Musis omnino alienis, doctos homines dicare ingeniorum suorum generosos fructus: Spargunt, vt ita dicam, margaritas ante porcos, eóque auspicio fœtibus suis malè ominantur. Qui scribunt, hoc apud se costitutum habere debent, vt ignaros iudices sibi non quærãt. Libris sanè maior splendidiórque authoritas accrescet, si nomen docti titulo ostendat, cui censura scriptorum tuorum committatur. Quamobrem, HIERONYME, nostri temporis (absit verbo inuidia) philosophorum atque medicorum clarissime, libellum Auicennæ, *De Corde, eiúsque facultatibus*, quem abhinc aliquot annos in Latinũ cõuerti, tibi dicare constitui: vt in lucem prodiens iudicia calumniatorum non reformidet. Quis etenim te iudice sedente linguam exerat calumniatricem? Scis probè hunc libellum medicinam imprimis auxisse: præsertim verò, quod antiquis Græcis paritérq;

ritérq; Latinis ignoratũ, vel potiùs dixeris negligenter omissum fuit, breuissimè complectitur. Equidem princeps cordatissimus, Cordi, visceri nobilissimo, eximium honorem præstitit: & mortalibus eo libello mirificè consuluit. Pauca aut potiùs nulla reperias de gemmarũ in cordis affectibus, & mœstitia contritarum potione atq; applicatione, apud veteres Græcos, fomenta in febribus ardentib. quę epithemata malè vocitãt: quanquã eo vocabulo vsus sit Politianus, errorẽ vulgi sequutus. Quòd salutariter ex is instituta sint, periculum in dies & in horas facis. Quin & eclecmata, quæ seplasiæ electuaria, siue sicca, siue humecta, nuncupant. Prætermitto prudens alia permulta, fastidio parcens, quæ candidi lectores, medicinęq; nõ imperiti, in eo inueniẽt commodissima vitæ hominum. Erunt, scio, quibus nihil nisi græculum sapit, qui ridebunt laborem nostrum quantulumcunque. Sed rideant, modò agnoscant se inauratos ambulare Auicennæ doctrinâ. vix in officinis remediorum concinnationes leguntur, quin ex Auicennæ penu depromptæ fuerint. Proinde miror quorundam insanas mentes,

qui damnant ea, ſine quibus mēdiciſſimi degerēt. Romani veteres, Pœni Magonis libros de agricolatione, curarunt ſtudioſè in Latinam linguā transferendos. nec id obſtitit, quòd eruditiſſimi Catonis & prudentiſſimi præcepta iam haberent. Nullus tam malus liber (authore Plinio) quin aliqua parte prodeſſe valeat. Nonnulli Auicennā Arabem appellant, alii Mauritanum, alii Pœnum. D. Hieronymus cenſet Punicam linguam Hebreæ proximè accedere. verùm immutatam temporum iniuriâ, non abſurdum eſt credere: quāquam Quintinus Heduus, vir egregiè doctus, in libello de Melita inſula, affirmat Melitēſes multa habere hodie vocabula, quibus Auicenna vſus ſit. Conſtat ſcholā Mauritanorum, tum philoſophiæ, tum medicinæ ſingulariter profuiſſe: ex eáque philoſophos ac medicos percelebres prodiiſſe. Quare etſi Galenum omnibus ſemper præferendum exiſtimem: non negligi tamen debent Mauritani: à quibus (audacter dico) præclariſſima in medicina adinuēta ſunt. Omiſimus quædam in hoc libello: quę adeò corrupta erant, vt nullus

elici posset sensus : vt est de Macere. Reliquimus etiam nomen Been : quoniam de eo dubitari à diligētioribus video. Si tantulum hunc nostrum laborem, HIERONYME amicorū humanissime, non displicuisse tibi cognouero, constantiùs ac vigilātiùs incumbam, vt quæ adhuc apud nos premuntur lucubrationes; & in tenebris latitant, breui emittantur in lucem: cuiusmodi sunt libri De re cibaria, copiosi: De salubri disciplina: Historia Francica: De pestilētia: Lectiones Aulicę: itē De accipitraria: quæ hoc toto decēnio cōmentati sumus apud Heduos in Saturnino nostro nemoroso sacerdotio liberalitate Francisci regis, & Ioannis Cardinalis Lotharingi operâ nobis commisso. Non potuimus per bellicos strepitus impressorum operâ vti: quoniā nihil cum impio Marte ac Belona armata, pię Musę ac pacificæ commercij habent. Speramus tamen propediem eas confecta pace orbis Christiani, authoritatem ingentem habituras. quod vt cōtingat, Deum Opt. Max. oramus atq; obtestamur. Te verò interim rogabo, ne illas eruditi tui ingenii vigilias

ſinas diutius cũ blatis ac tineis pugnare. Erit hoc tibi ſummo honori, & Reipublicæ vtilitati. Bene vale doctiſſime HIERONYME: & nos, vt ſoles, ama. Ex ædibus noſtris decimonono Calendas Iunias

1559.



PRINCIPIS AVICENNAE, MAVRITANI,

De corde, eiúsque facultatibus libellus,



Ioanne Bruyerino, Campegio, Lugdunensi, interprete.



SVMMVS ille opifex Deus, viscus admodum nobile, in hominis corpore collocauit: quod ab antiquis Philosophis, primum & principalissimũ appellari inuenio. Cuius sinister sinus, fons, & conceptaculum spirituum existit: hi verò, animæ virium primum stabilimentum censentur, atque eorum opera ductúque in corporis partes omnes animæ facultates transfunduntur. Porro idem sublimis ille artifex genuit ex succorum tenui essentia, paritérque calida spiritus, haud aliter sanè, quàm ex crassa & terrea ipsorum humorum corpus. Eadem enim est collatio spirituum ad succorum tenuitatem, atque ipsius corporis ad ipsos succos. Quippe quemadmodum membra ex mutua humorũ quatuor mistura temperaturáq; constant, vnde scilicet formam suæ cõpositionis

Sinus sinister cordis.

Membr:

ac structurę adipiscuntur, paritérque apta efficiuntur ad habitum (qui à simplicibus proficisci potest) admittendum: ita quoque spiritus ex succorum tenuitate, simul & mistura nanciscuntur temperaturam, qua idonei aptíque redduntur ad vires animę continendas. id quod nequaquam à simplici natura contingeret. Verùm si quis diligentiùs id consideret, à Dei immensa benignitate simul ac potentia emanare facilè sibi persuadebit: quandoquidem harum virium perfecta absolutio, vita ipsa est, quam à Deo immortali mortalibus infundi haud dubiũ est. Cæterùm, etsi vnaquæque pars corporis ex succorum essentia consistat: habet tamen suum temperamentum, quod à proportione quãtitatis humorum, eorúmque mistione oritur. Pręterea, spirituum essentia ex humorum quidẽ tenuitate constituta est, verumtamen temperaturam obtinent peculiarẽ: quæ quãtitatis proportio, tenuitatis succorum & misturæ formas consequi solet. Adhæc, in generatione partiũ animalis (quæ sanè non paucæ sunt) vna sit oportet quæ prima gignatur, quæque aliarum principium habeatur: indéque reliquarum generationis ordo sequatur. Hic autẽ non obscura philosophorũ concertatio exoritur: de qua vberrimè aliquando in magno aliquo nostrorum Cõmentariorum (modò vita supersit) disseremus. Nunc dicamus esse quoq; in spirituum generatione ordinẽ quendam, simúlq; principium quoddam. Conuenit inter omnes propè dixerim naturę interpretes diligentiores, spiritũ illum qui primus gignitur, suam in corde originẽ habere: à quo ad alias partes diffunditur: ibíq; naturam atq; tem-

Prima pars. *Generationis spirituum ordo.* *Primus spiritus.*

temperationem peculiarem adipiſcitur. Ad cerebrũ etenim deductus ſenſus motúſq;, functionem facultatémque conſequitur: in Iocinore verò altionis auctioníſque: poſtremò in teſticulis vim genitalẽ. horum autem (ſi principi philoſophorum credimus) fons atque principium cor exiſtit. Qui tamen huic ſententiæ refragantur, vim guſtandi, videndi, audiendi, in cerebro poſitam conſtanter affirmant, ab eóque veluti principio emanare. Addunt quoque, ſpiritus ab aliis partibus adiuuari, & aptiores effici: vt facultates illas præſtare valeant. ſiquidem vim viſoriam, temperamenti chryſtaloidis auxilio, ſuas exercere operationes aiunt: audiendi, nerui cuiuſdam ope, guſtandi verò, ab humore (quem caro quædam ſpongioſa ſub lingua ſita gignit) abſolutè perfici. Ex his autẽ quos Philoſopho reluctari nuper diximus, nonnulli in ea ſunt hæreſi, vt arbitrentur ſpiritum illum duntaxat à cerebro vires exquiſitas accipere: nec aliarum partium, ad quas acceſſerit, indigere vſu aut operâ: putántque eas partes tantùm eſſe inſtrumenta idonea functionibus peragendis: nihílque ad conſtituendam ſpiritus eſſentiam conferre. meminiſſe tamen oportet, veriorem eſſe ſententiam aliorum. id quod Lector candidus probare non dubitabit: ſi accuratiùs rem totam contempletur, atque antiquorum Philoſophorum monumenta euoluerit: in quibus exercitus ſit oportet, qui hæc paucula de corde, eiúſque potentiis noſſe, ac perdiſcere volet, ex iiſque fructum referre. Equidem conſtat inter doctiores, ſpiritum ab inſtrumento actionis, exquiſitam nanciſci abſolutionem. Prætereà, poſteriorum quorundam

Cerebrũ

Iecur.

Ariſt.

Opinio quorundam.

Antiquorum Philoſophorũ Libri.

Abſolutio exquiſita ſpiritus.

Posteriorum opinio. dam philosophorum secta affirmat, quicquid vim spiritus obtineat, id penitus in corde gigni: à quo ita exactè conficiatur, elaboretur, & concoquatur, vt neque cerebri, neque iocinoris, neque testium operâ vsúque indigeat. Sed hos toto (vt aiunt) cœlo errare eruditi naturæ cõtemplatores rectissimè censent. Iam verò tempus appetit, vt spiritus diffinitionem, naturam, vsúmque attingamus: ostendamúsque quid de his philosophus eruditissimis suis in Commentariis tradiderit. Primùm itaque scito, vitam omnémque perfectionem, quin & omne bonum à celso veritatis bonorúmque omnium fonte atque principio, dimanare: prætereà esse quædam, quæ recipere quidẽ nata sunt, carere tamen aptitudine illa, qua conuenit recipere: ideóq; nõ quoduis corpus cuiuslibet affectionis admittẽdę idoneũ existit. Lana quippe, qua lana est, gladij formã haud recipit: neque itidem aqua, quatenus aqua est, formam naturæ humanæ minimè admittet. vitam autem obtinent vniuersa corpora, exceptis quibusdam, quæ numero pauca sunt, & quantitatis insensilis. sunt autem huiusmodi elementa: quæ esse tantùm quatuor, dubitari non video: quæque nullam vitam habere dicuntur: quemadmodum nec illa, quæ iis proximè accedunt naturâ: quin etiam minora esse propemodum cunctis, qui circumferuntur, orbibus intelliguntur. Adde quoq;, parum à mente vera abesse, quin ex astris fixis aliquod sit maius illis. Ostensum quoque est, elemẽtorum corpora, si ad Saturni sydus referantur, instar punctorum videri. vnde tibi licet coniectare, quantũ à sublimiorum amplitudine recesserint. Cur autem elemen-

Arist.

Deus

Aptitudo

Exemplũ à lana.

Vitâ prædita.

Elemẽta.

Orbes Astra fixa

elementa vitam non obtinuerũt? problema est physicum: cuius causam explicuerũt, qui veritatis studio eruendę monumenta posteris scripta reliquerunt. est autem ab illis huiusmodi tradita: quòd videlicet cætera vniuersa corpora, tum simplicia, tum cõposita, aduersari elementis, naturarum contrarietate spectentur, quippe natura vnius, alterius naturæ est contraria. Longè igitur absunt à corporum cœlestiũ naturâ. quippe hæc sunt ad vitam apta (quæ solet corporibus accidere) nobilissimã & excellentissimã: illa verò omnino vitę sunt expertia: at in corporibus compositis, mistio abolet ipsorum contrarietatem. vnde oritur temperatura, quæ medium quoddam existit inter contraria. Nihil autem absolutę contrarium medio cernitur: hoc itaq; modo compositum, ad viuendũ aptum redditur, fitque, vt quantò propius temperamentum medio accesserit, tantò aptius mistum efficiatur ad vitam perfectiorem atque præstantiorem suscipiendam. Quòd si in temperatione tanta fuerit moderatio, vt contrarietatem abolere valeat, omnino ad cœlestium corporum vitam proximè veniet mistum: hanc verò in spiritibus corporis humani inueniri compertum habemus. Erit igitur (vt summatim dicam) spiritus generatus ex elementorum moderata mistura, ad cœlestium corporum naturam proximę accedens. Atque idcirco eius essentiam splendidam existimarim. nam & visorius ille spiritus, splendor quidam est, ac fulgor. Mirum itaque videri minimè debet, animam lucis conspectu exhilarari, tenebris verò contristari: nempe spiritus splendore atque luce, vt familiari sibique simili oblec

Cõposita

Cœlestia

Cõposita

Contrarietas.

Vita nobilior.

Spiritus.

Visorius spiritus.

Lux.

oblectatur,cõtrà verò tenebras(vt contrarias)reformidat, ac perhorrescit. Cæterùm,à Philosophis pariter ac medicis doctioribus proditum est, lætitiam, mœstitiam, metum, irámque, proprios esse spiritus cordis affectus: quódque eorum quilibet augetur, minuitúrve, non ab agente solùm causa, sed aptitudine ipsius affecti corporis. Quinetiam iidem differre censuerunt potestatem & dispositionem. Siquidem potestate, vtrunque contrariorum æqualiter suscipi potest, dispositione autem nequaquam. nanque lætari & tristari simul, potestate quidem hominē quis dicere poterit:dispositum autē & aptum vel mœstitiæ tantùm, vel gaudio tantùm, dicere possumus.quæ eadem de cęteris affectibus sunt intelligenda. Quamobrem essentia spiritus,potestate læti alia est ab ea, quæ est dispositi ad quoduis nuper memoratorũ affectuum. Etenim dispositio, perfectio quędam est potentiæ,si ad alterum oppositorum spectes. Patet itaque, quòd etsi spiritus potestate lætari tristaríque discriminatim posfit: non tamen eadē præstare in dispositionis ratione valebit. Sed & liquet ab ipso ortu & generatione potestatem spiritui inesse in vtrunque oppositorum inseparabilem. At dispositionem, qua spiritus ad alterũ oppositorum ducitur, non ex ipsa quidem adesse generatione inseparabiliter, omnibus in confesso est. causæ etenim extrariæ & quæ foris contingunt, eam efficere possunt: lætitia autem est voluptas quædam & delectatio. Fit autem voluptas apprehensione rei naturalis aduenientis ab aliqua facultate apprehensoria. id quod patet in sensibus. Quippe gustatui, succorum dulciũ appre-

Affectus. Potestas. Dispositio. Spiritus lætus. Dispositio. Lætitia. Voluptas. Gustatus.

apprehensio, delectationem affert: visum splendor oblectat: olfactum rerum suaueolentia, auditum iucundi leuésq; soni voluptate afficiunt. porro victoria delectat eam, qua irascuntur facultatem, vtilitas verò percepta vim eam, qua existimatio atque cogitatio fiunt. Cõstat siquidem adeptionem rei perfectæ voluptatem facultatibus afferre. Fortè autem & vsuuenit, vt potentiæ quædam delectētur, tantùm abeunte scilicet, qui præter naturam fuit, affectu, & redeunte habitu naturali. Quamobrem nonnulli arbitrati sunt delectationem fieri, videlicet cùm affectus præter naturam ad naturalem cõstitutionem reuertitur. Etenim stabilem ac permanentem habitum nullam omnino párere voluptatem asserunt. Eos autem falli manifestum est. nam id quod per accidens accipi oportet, ab ijs vt per se, sumitur. quem erroris modum in Elenchis aperuimus. Cæterùm, delectatio (de qua hîc agitur) deprehenditur tantùm alteratione manente: quod tactus satis indicat: nempe voluptas efficitur tactili agente qualitate: & transmutante in habitum naturalem corpus affectũ: quod vbi effectũ fuerit, qualitas illa firmata fit partis temperatura: à qua nullo pacto voluptas fit. omnis enim alteratio cum quadam transmutatione accidit, nihílque seipsum alterat, aut mutat. Contrà verò qui Ethica febre laborat, non videtur offendi vehementia caloris: cùm nihilominus huius calor longè amplior sit quàm is, qui ab ardente febre concitatur. Porrò ab acutis correpti febribus, manifestè offenduntur calore, quanquam minor is sit. Accidit autem id, quoniã omnes corporis partes excalfactæ ad

Victoria. Vtilitas. Opinio. Error. Voluptas. Temperatura. Alteratio. Ethica febris. Acutæ febres.

ad perfectionem, atque ex æquo in Ethica sunt. Ad hæc, qui ea tentantur, doloris expertes sunt, putántq; se febre omnino carere. neque enim sentiunt calorē, vniuersis scilicet corporis particulis percalefactis: calor verò acutæ febris expanditur supra partes quasi innatans: longéque recedit ab ægrotantis temperamento. medici hanc appellant qualitatem peculiariter partibus inhærentem, quemadmodum in Ethica malam temperiem, inæqualem, quòd scilicet omnibus corporis intemperanter affectis partibus æqualiter insit: eam verò, quæ adest febre ardēte correpto, inæqualem, malam intēperiem vocitant. Manifestū itaque erit, quòd causa voluptatem cessare faciens (postquam perplenè iam alteratum fuerit corpus, ac veluti acquisitus habitus) erit priuatio apprehensionis. Causa autem delectationis quando incipit abire ab effectu præter naturam, erit transitus initium ad statum secundùm naturam. Verùm quoniam simul coēunt principiū dispositionis naturalis, & exitus affectus præter naturam, fit, vt voluptas contingat sub illum finem atque discessum. Quare quæ antè diximus, quidam vera esse malè crediderunt. Siquidem perfectio sensu percepta, causa ea est delectationis per se aptitudinis, insuper causa ad voluptates circa spiritus versatur. Etenim & quantitate & qualitate bellè moderati, laudatissimi habentur, & probatissimi. nanque spiritus si immodicè abundauerit, facultas quoq; erit vehementior & validior. nos in naturalis scientiæ libris docuimus quantitatem adauctam robori facultatis non parum addere. Quamobrem ipsius largior copia spiritus, facit, vt diutius perennet

Error.

Auicēnæ libri De Natura.

perennet ac perduret in ipso fonte:quando verò affa
tim spargitur in partes(fit verò quando lætitiâ adfici
mur) copiam liberaliorē significat. Quòd si exiguus
fuerit spiritus,artifex illa natura parciùs illum diffun
dit,atq; elargitur : nec sinit ita liberè vagari,ne dissi-
petur atq; euanescat. Adhæc, si temperaturam nan-
ciscatur præstantissimam spiritus,& essentiam excel-
lentissimam,hoc est, splēdidissimam,ad cœlestem es-
sentiam proximè accesserit. Dictæ iam sunt genera-
tim lætitiæ causæ. At spiritus,si contrà se habeat,mœ-
stitiam parit. Quando autem is in corde multus fue-
rit generatus, & moderatam obtinebit temperiem,
tum etiam splendidus, serenúsq; existet,vehemētem
gignet lætitiam:econtrariò si exiguus,qualis in recol Spiritus exiguus.
ligentibus se à longa valetudine,& senioribus intelli-
gitur. Præterea,distemperatus,veluti in ægrotis cor-
poribus: item spissus,crassus,turbidúsq;,& caligino-
sus: qualē obtinent melancholiâ adfecti. Si pertenuis,
qualem mulieres, atq; pusillanimes vocati,mœstitiā
insignem pariet. Sunt quoq; extrariæ causæ,& quæ à Extrariæ causæ.
foris veniunt,tum mœroris, tum gaudij:quæ homi-
nem adficiunt pro aptitudinis modo. Quippe mini- Aptitudo
ma causa indigebit aptitudo exquisita. quod familia
ri exemplo sulphuris colligemus. Id enim vel ignis Exēplum à sulphure.
scintillulâ ocyssimè accenditur,flammámq; edit:cele
riùs videlicet, quàm plurimus ignis in ligno posset.
Quapropter quibus spiritus aptissimi sunt ad ea,quę
lætitiam faciunt,admittenda, leuissima ex causa gau
dent. Vinum excellens epotum interdum tantam ad- Vinū generosum.
fert voluptatem, vt qui biberint,temerè ac sine causa
exhilarari credantur. sed id absurdum est:quippe fieri

haudquaquàm poteſt,vt citra artificis operam,rei vel aptiſsimæ quidpiã imprimatur. Cauſam verò huiuſmodi hilaritatis vinoſorum, explicare non erit inutile. Vinum excellens modicè ac tempeſtiuè hauſtum, parit ſpiritus eſſentiæ moderatæ ac temperatæ, prætereáq; ſplendidos:vnde qui id bibit,lętitiæ aptus redditur:proinde vel cauſa leuiuſcula impellitur ad hilaritatem.Porrò validiùs altiúſque imprimuntur cauſæ,quæ vtilitatem præſentem promittũt, quàm quæ futuram.quin & eas potiùs admittimus, quæ ad voluptates,quàm quæ ad honeſtatem pertinent,promptiùs item quæ ad imaginationẽ, quàm quæ ad mentem,ſuſcipimus. Cuius quidem ratio eſt, quòd animę princeps facultas in cerebro ſuas exercet functiones:ſpiritus autem moderatè humidus idoneus eſt,vt motioni cogitationis,mentíſque labori obtemperet. Crapula autem & ebrietas immodicè humectãt,atq; agitant ipſum, vaporibus ſcilicet in ſublime raptis: quare neque menti, neque cogitationi pâret,potiſsimúmque vbi ardua & ſeria maximè negotia tractari oportet, mobilis ſiquidem & fluida eſſentia non facilè ſuſcipit rerum formas ſubtilium, ſed craſſarum tantùm rudiúmque:ideóque veritas infirmior manebit, & non plenè cognita. Intelligendi enim vis impedita, ceſſabit ex parte maxima,quamdiu intemperies illa vigebit atque agitatio: redeat enim oportet priùs temperies ac trãquillitas, quàm rite ſuo fungatur munere: ſic facultas animæ quæ cordi ineſt, quamuis apta ſit admodum ad lætitiam,tamen quæ vim exhilarandi ſortita ſunt,ad illam potentiam non pertingunt:quæ tum ſenſus, tum phantaſiam & cogitationem

Hilaritas ebrioſorũ vnde.

Principale animæ.

Vis cordis.

tationem ſolet præbere. Roboratur verò iis animalis facultas: quod equidem impedimentum contingit ab immodico humore & agitatione immoderata. ſenſus itaque interiori ſpiritui dominabitur, mentémq; ſuis motibus ſeparabit. Quando autem menti fugax occurrit ſpiritus, opem à ſenſibus illa quærit: quorum operâ vtitur eo modo, quo geometræ, aliarúmque ſcientiarum profeſſores, & contemplatores. Hæc itaque cùm ſic procedant, hebetantur in anima ebrioſorum honeſtarũ ſeriarúmque rerum impreſſiones, contrà verò voluptatem mouẽtia, atque lętitiã, robur viréſque adſumunt: maximè, quando ſenſibus ſubiiciũtur, atque occurrunt. Diximus ſuprà leuiſsima opus eſſe cauſa, ſi aptitudo adſit ad creandã voluptatem: quod item exemplo puerorum patêre poteſt: quos plerunq; ſine cauſa lætari exiſtimamus: at id fieri nequit. Præterea, cauſarũ letitię atque mœſtitiæ aliæ quidem validæ & inſignes, aliæ imbecilles & obſcuræ: quædam autem cognitæ & cõpertæ: nõnullæ verò incompertæ & abditæ: & occultarũ quidem pleræque conſuetæ ſunt: ideóque minus manifeſtæ ac cognitæ: aſſuetudo enim tollit notitiã. Cauſas gaudij inſignes & cognitas hîc tractare æquum non eſt. Sunt permulta, quæ animum exhilarant, cuiuſmodi eſt cœli ſerenitas: huiúſque certiſſimum argumẽtum eſt, quòd obſcuratũ & nebuloſum hominem contriſtat terrétq;. quin & hominum conuerſatio, præſertímque æqualium. ſolitudo enim (ſi aliud quicquam) mœſtitiam excitat & terrorem: pręteritorum inſuper iucunda recordatio, atque futurorum bonorum ſpes, confabulationes cum amico de rebus

Senſus.
Geometræ
Exemplũ à pueris.
Cauſæ.
Aſſuetudo.

iucundis. Quinetiam euasisse certum periculum, tormenta, tempestates temporum: optatis frui, statuisse animo quod voluptatem adferre debeat: narratio historiarum, apologorum, & fabellarũ, vel lectio, exotica, & peregrina contemplari, amicis obuiàm fieri, decipere quandoque, & fallere in leuibus negotiis, ludísque, & vincere. Sed horum plura lib. Philosophorum Rhetorúmq; tradita reperiuntur. in his autem, tum ætatem, tum consuetudinem, tum regionẽ considerare oportet, atque etiam affectus: quippe ab iis variæ emergũt differentiæ. Verumenimuero non reperire est hominem, qui liber & immunis sit id genus
Aptitudo. rebus. Porrò aptitudo & præparatio suscipientis perpetuò animaduertẽda. interdum nãque ab vno quis adficitur, aliquando ab altero, rarò à duobus simul: fit tamen nonnunquam, vbi scilicet causa fuerit vehementior. Vinolentorum voluptas diutulè perdurat: mœstitia melãcholicorum, ob crassos & caliginosos spiritus diutius perdurat. Quędam leuiter cõstristãt, vt, sǒlum patriũ deserere, à parentibus lõgiùs abesse: meminisse periculorum præteritorum, odium in ali-
Mortis metus. quem: conuersari cũ iis, quos minimè amamus: mortem metuere, & alia id genus. à quibus qui prudẽtiores sunt & cautiores, animum abducunt: morte namque nihil certius, vitaríque haud potest. Hìc breuitati studentes, non pauca omittimus, vt curas, sollicitudines, meditationes, voluptatum interpellationes.
Atribiliani. Cæterùm, in atra bile adfectis (quoniã rerum tristiũ intentior imaginatio existit) plerunque accidit: vt ea ipsa, quæ imaginationi occurrunt, vera esse putent: diutiúsq; mœstitia perseuerat. Causas tam vehemen-

tis cogi

ts cogitationis ariditati spiritus adtribuunt nõnulli: quanquam manifestum sit, agitationem mobilitatémque eius siccitate corrigi, ac compesci. Mens quoque à ratione auocatur, operâ tum sensus, tum ipsius phantasię: quippe vitiata spiritus temperatione, variè & vitiosè is mouetur, pro corruptionis scilicet magnitudine, prauitate, atq; varietate. Cæterùm, omnis functio, quæ frequenter exercetur, validiorem efficit facultatem à qua prodit. Namq; redditur ad suos effectus præstandos efficacior. quod inductionis exemplo sic patebit: Corpus frequenter calefactum, calorẽ promptiùs ocyúsque concipit. Quin & sępius refrigeratũ celeriùs faciliúsque frigus sentiet. Prætereà, rarũ ex facili patitur atque adficitur, densum vix & contumaciter: eadem autem intus in hominũ virtutibus vsu venire est intelligendum. Quippe actiones & passiones earum, crebriores habitum in ipsis pariunt & firmant euidentem & insignem: ideóq; eos habitus, qui ad mores pertinẽt, sic adquiri nouimus. Huius autem causam haud temere fortasse sic posuerim: quòd passio videlicet crebra, essentiæ suscipientis vtilis sit: cõmodum autem rei cuipiam quod existit huius rei cõtrario, inutile futurum est. Possem equidem ratiocinatione & demonstrationis methodo exquisitiùs id demonstrare: verùm ex inductione satis ista manifestãtur. Proinde in confesso est, lætitiam frequentem, prõptiorem præstare spiritum ad voluptates: cõtrà, perseuerãtem & diuturnã mœstitiã ad mœrores opportuniorem. Naturæ rerum periti rationem docent huiusmodi: quòd lætitiam crebriorem duo cõsequi par sit, robur scilicet facultatis, atque spiritus attenuatio-

Ariditas.

Exercitium functionum.

Inductio.

Rarum.

Densum.

Virtutes.

Lætitia frequentior.

nem : robur autẽ potentiæ tria ſequuntur:quæ gaudium generant,ſpiritus temperies,deinde inſtauratio ampla eius,quod ei deceſſerit:poſtremum,quod non ſinit ſpiritum immodicè diſsipari,ſed potiùs cõſeruat tuetúrq;. Adhæc,duo conſequũtur ſpiritus attenuationem, aptitudo ad motũ & dilatationem, id enim eſſentiæ ſubtilitas ſuggerit:alterum verò eſt, quia trahit alimentum, quod in aliam partem dilatatione & motione nutrimenti contrariam ſolet abduci. Quæ cuncta natura facit atque molitur:vt vacuo locus nõ ſit:cuius motionis vis eſt, vt ſuccedant prioribus poſteriora. Aquas è longinquis locis ſic deduci certum eſt elicibus & tubulis:itémque ventorum flatus: quin & cutem à medicinali cucurbitula. Sed crebra & perſeuerans mœſtitia potentiam naturalem imbecillam reddit:facítque, vt ſpiritus craſsi ſpiſsíque neceſſariò euadant: quandoquidem in arctum atque anguſtum coacti, calorem natiuum extinguunt : vnde ſumma fragiditas enata denſitudinem illam & craſsitudinem adfert. Meminiſſe igitur oportet frequenti lætitia ſpiritus ſerenari exhilararíque, mœrore verò crebro conſtritari ac obfuſcari:ſed quæ mœrores concitare dicuntur:niſi ſi admodum valida paritérque vehemẽtia extiterint,vix adficiunt opportuniores ad lętitiam & gaudium:quos tamen leuiter iucunda celeriter & facilè mouent. Eadem in mœſtis intelligere debemus:prõptè enim à mœrore adficiuntur, difficulter verò à lætis excitantur. Verùm cordis imbecillitas & mœſtitia,quanquàm ferè eadem videantur, differunt nihilominus. Cordis prętereà firmitas,letitiáq;, eadem eſſe dicuntur. Sunt qui mœſtitiam, cordis

Vacuum abhorret natura

Aquę ductus.

Frequẽs lætitia.

Cordis imbecillitas. Differentiæ.

conſtri

constrictionem atque angustationem appellent, lętitiam verò ampliationem, & dilatationem: verùm hæ differentiæ parum conspicuè apparent: quoniam simul plerunq; coeunt, & sese mutuò sequuntur. Sanè duo illa priora, pasiuæ dispositiones quibusdam æstimãtur: duo posteriora, agentes: verùm inter extrema contrarietatis vtriusq; occurrit distãtia aperta. Quippe, vt clarè intelligas, adnotandum in primis, ista simul nõ inueniri: scilicet, vt qui infirmi sit cordis, protinus idem mœstitiâ adficiatur, nec qui mœstus continuò & idem sit corde imbecillo. Ad hæc, nec omnis qui lętus est, validum statim obtinebit cor, neque qui cor robustum nactus erit, idem quoque lætus fuerit. causæ nanque inter se discrepant: nempe eos putamus pusilli infirmíque cordis, qui impatiẽtes sunt rerum terrificarum: mœstos verò eos appellamus, qui à rebus contristantibus opprimuntur, iísque resistere non valent. Sed, vt paucis dicam, scito terrifica cordi inimica esse, & noxia: contristantia autem ipsi animæ. Cordis debilitas quæ mala sunt, vitare tentat: mœstitia verò reluctatur quidem, conatúrque repellere, nec parat fugam, sed repugnationem. Quinetiã infirmitas cordis sedat lenítque motrices potentias: mœstitia mouet & cõcitat. Quare hoc in affectu duæ pasiones reperiuntur: altera offensionis, & læsionis: altera desiderij: mœstitia solam habet pasionem offensionis: nec affectus ad fugam naturaliter ipsam sequitur. Quin euitatio tantùm fortasse aduenit propter aliquod accidens: & si non adsit appetitus ad fugam inclinans. Aliam differentiam aliqui voluerunt esse, quòd ad cordis imbecillitatem (si quidem quod

Terrifica

Alia differentia

obſit,aduéniat)natiui caloris hebetatio conſequitur, frigoríſque exuperantia. In mœſtitia(quando quod lædit,obuiat & occurſat) inſitus calor inflammatur. Poſtremũ eſt,quod aiũt circa adficienes ac diſponentes cauſas collocatum: ſiquidem immodica ſpiritus tenuitas, & frigiditas, cordis imbecillitatem faciunt: mœſtitiam autem ſpirituũ craſsitudo, calidáque eorum temperatura. Porrò quando ſanguis variè adficitur,variè quoq; cor adficitur. Sanguis ſplendidus, temperatúſque lætitiam parit:nam & hæc copioſum purum, & bellè temperatum creat: qui verò tenuis, clarus, ſimúlque aquoſus & frigidus, meticuloſos reddit:cordíſq; infirmitatem generat: nempe ſpiritus hinc prouenlens,foras difficulter exit, quin nec facilè accenditur propter frigiditatẽ humorémque,quamobrem neque in lætitiam,neque in mœrorem promptiores efficit.Ocyùs item diſsipatur atq; abſumitur: quandoquidem admodum tenuis & exiguus eſt.Huius verò cauſa,algor eſt.At craſſus, turbidus,& vehementer calens, pronos in mœſtitiam facit,irámque perſeuerantem & pertinacem gignit. Etenim ſpiritus caliginoſi ab eo manant:qui mœſtitię authores ſunt. Calor verò vt promptè accendatur, & efferueſcat ad irã,facit ſpiſsitas & craſsities,vt perduret diutiùs:fitq; peruicacior ira:denſa namque calefacta,tardiùs quoque refrigerantur. Quæ autem à ſanguine tenui ac biliosſo ſuccenditur ira,vt prõptiùs excitatur,ita celeriùs remittitur ac ſedatur,propter tenuitatem & calorem ſpirituum. Si verò his acceſſerit ſplendor ac ſerenitas, lætitiam parient. Sanguis craſſus feruidiórque, non tamen turbidus (quod rariùs contingit) non mœſtos ſed

Sanguis.

Ira pertinax.

ftos,sed audaces efficit : & cor robustius indicat, pa-
iúmque iracundum: lætitia iram obtundit,mœstitia
contrà fouet,alitq;:motus iræ, ad expellendum ver-
git, delectationis,ad attrahendum.Ira vehementior
contingit à spissitudine spirituum: ideóque & leuiter
meticulosa huiusmodi temperatura.Sanguis crassus
algidiórque,neque tamen turbulentus, hominẽ ne-
que exhilarat neq; contristat:nec iracundum admo-
dũ facit:quin & is modicè metuet, ingeniiq; erit ob-
tusioris,simplicis ac synceri in omnibus, quæ tracta-
bit, negotiis. respondet quippe spiritus sanguinis
temperamento. Sanguis crassus, turbidus,simul atq;
frigidior hominem efficit mœstum : & desperantem,
sed tardiùs irascentem.etenim sine graui causa vix ira
scitur: & quæ in eo cõcitatur ira,celeriùs cessat,quàm
in eo,qui sanguinem calentẽ,crassum, turbulentúm-
que obtinet.Est autem perseuerantior,quàm eius,cu
ius sanguis est tenuis. Vnde fit, vt odiũ semel cõceptũ,
lentiùs dimittat atq; deponat. odium namque est fir
ma nocumenti accepti & perseuerans recordatio in
imaginatione,quę vltionis viam vestigat.Scito autẽ,
quando ira ocyùs deferuescit,atq; tranquillatur,non
perdurare in imaginatione formam eius quod læsit,
ac nocuit,sed aboleri obliterarique velociter.Pręter-
eà , si quis ad vltionẽ moueatur, duo sunt quæ pro-
hibent,ne odium cõcipiatur. Etenim quando anima
omnino vlcisci iniuriã expetit, auocatur à rei læden-
tis contemplatione,adeò,vt memorię adfigi non va-
leat iniuria: siquidem vis motrix abducit nos à recor
datione lædentium.Adnotandum insuper, quòd vbi
quis vindictam intensiùs cõcupiscit , nec timor adsit,

Spiritus.

Odium quid.

contingit, vt ex cupiditatis vehementi impressione, quod expetitur, quasi iam adeptum & consequutum in imaginatione videatur. Si autem quod nocet, effatu dignum sit & timoris plenum, tunc vltionis desperatio metúsque facit, ne in anima tenaciùs inhæreat forma cupiditatis vindictæ. Quamobrem illa læsionis species ab imaginatione abit, verùm timor in anima remanet: ideóque homo is ad fugam, non ad aggresionem sese parat: nec persistit odium. Porrò quando pueri imbecilléſve læserunt, quoniam facilis de iis vltio futura sit, abéstque timor, cessat illa vlciscendi cupido: perinde ac si iam peracta foret vindicta: imaginatio secundùm oblata atque occurrentia mouet: non secundùm quod res ipsæ existunt: id quod exemplo familiari colligi sic potest. Homines à mellis gustatu abhorrent, quãdo scilicet vomitui bilis flauæ confertur, item alij suaues iucundíque cibi, quando cum ingratis & fastidiosis putidíſve conferuntur, nauseam adferunt & fastidium. Simili quoque ratione cætera iucunda, si cum detestandis comparentur, displicere solent. Vehemẽtia motus cupiditatis, & facilitas obtinendi quod quęritur, ita nos adficit, ac si iam eo ipso potiremur ac frueremur.

Pueri.

Imaginatio.

Exemplũ à melle.

SED de medicamentis lętitiã generantibus disserere tempus exposcit, & quot modis id efficiant, explicandum. Igitur adnotasse oportet medicamina, quæ lætitiam gignunt, aut alendo, spiritum instaurare & resarcire, vt vinum: aut spiritui serenitatem splendorémque pærstare, vt margaritæ & Sericum: quæ abstersoriam etiamnum vim obtinent: aut cogẽdo prohibere ne dissipetur spiritus, cuiusmodi sunt Myrobalani

Lætitiam generantia

Vinum.

Margarita.

Sericum.

balani Emblicæ,& Succinum. Aut temperare mode- Myrobalani emblicæ.
raríq; temperamẽti qualitates, calorẽ scilicet aut fri-
giditatem:& hoc quidem Doronicum præbet, illud
autẽ caphura, & aqua rosacea. Aut corroborare spi- Succinũ.
ritus quadam odoris suauis gratiâ, vt aromatum ge- Doronicum.
nus gratum: aut separare melancholicũ succum aut Caphura.
turbidũ à spiritibus, vt buglossum,& lapis cæruleus. Aromata.
& hæc omnia ab his præstantur, aliquando quidem Buglossum,
solis, aliquando quidem simul commistis: quemad
modum si buglossum & coraliũ succinúmq; simul Lapis cæruleus.
miscueris. Sed de hoc in calce libelli explicabitur dili- Mistio.
gentiùs atque vberiús. Sunt autem & alia, quę hilari-
tatem generant, naturâ quadam peculiari (propric- Proprietas.
tatem naturæ interpretes vocitant) vt hiacynthus la- Hiacynthus.
pis. sed hæc proprietas coniuncta quãdoque cernidi-
tur alicui prædictarum facultatum. Moschus siqui- Moschus odoratus
dem,& Ambar lætitiam pariunt, tum naturâ illa pe- Ambar.
culiari & proprietate, tum odoris suauitate atque
fragrantia, quæ spiritus recreat. Quinetiam succus
malorum (quæ Matiana appellantur) cæca illa pro- Matiana malâ.
prietate lætitiam gignit atque si incaluerit plus iusto,
spiritus auxilio venit vi sua refrigeratrice. Doronicũ
item abdita illa naturâ hilaritatem ciet: quin & spiri-
tus refrigeratos calfaciendo: verùm in vno medica-
mento complures quandoque coire spectantur aliæ
facultates cum proprietate: sed quæ potentiâ huic cõ-
iungitur cæcæ naturæ: aliâs omni temperaturæ adhi
beri potest: vt quæ nullius indiga sit auxilij, vel tem-
perationis, vel moderationis etiam in cordis imbecil-
litate, aut mœstitiæ affectibus: vt videre est in aroma- Aromatũ suauis odor.
tum præsuaui facultate, aliâs verò postulant, vt mi-

scceantur

ſceantur cum alio ad temperandam vim. Succus malorum Matianorum quidem, aut ſyrupus ex eo factus interdum exhilarat, interdum verò haudquaquam. Qui enim ſyropum frigidę naturæ propinare volet, cum concalfacientibus rite eius algorem temperabit. fiet autem excellētius & nobilius præſidium, ſi addatur quod calfacit, & cæca proprietate exhilarat. Exempli gratiâ: Præſtantius erit auxilium ſyropus Matianorum, cui momentum moſchi, aut ambaris inditum & adiectum fuerit. Certum eſt quoque ea, quæ ſubſtantiæ corporis familiaria ſunt, à natura noſtra auidiùs, celeriùs, & faciliùs attrahi. Aromata atque dulcia ab olfactu guſtatúque expetuntur, & attrahuntur. Quare duorum æqualium & ſimilium medicamentorum efficacior erit vis huius, cui plus aromatis inerit. Attractrix enim partium facultas gratiùs, ſuauiùs ac magis libēter admittit, atque excipit: indéque ſpiritus, ſi adſit alendi potentia, nutritur, recreatur, & inſtauratur: & quatenus eſt medicamentū corpus ocyùs adficit. Aromatū quidē eſſentia vaporoſa & fumida exiſtit, dulcium autē ſpiſſa terreſtríſq;. idcirco aromata ſpiritui alendo magis idonea ſunt, dulcia corpori nutriendo. Nos itaque alimentis quæ cordis affectib. vtilia cenſentur, plus ineſſe virium aromaticarū quàm dulcedinis volumus: Cor enim fons & ſcaturigo exiſtit alimentorum ſpiritus. Iecur, quoniā principium eſt generationis nutrimēti, corporis, poſtulat ali ijs quę dulcedinis plus, minus verò amaritudinis obtineant: huic tamen aromata idonea cōmodáque ſunt eximia. quandoquidem ſpiritus naturalis ſit fons & origo: quanquam ſi veritatis quibuſdam

Exemplū à malis.

Aromata dulcia.

Aromatū eſſentia.

Dulcia.

Alimēta Cordis.

Cor.

Hepar.

dam studiosis fides adhibetur, non fontē originémve dixisse oportet, sed tantùm conceptaculum, atque sedem spiritus naturalis hepar appellabimus: medicina tamen aliter sentit. Spiritus naturalis odora & suaui aromatū facultate delectatur, recreatur simul ac roboratur vt familiari gratáque: proinde vires naturales firmari atque corroborari eadem opera existimā dum erit. Cæterū, quoniā de proprietate suprà nondum nihil attigimus, par est vt fusiùs & explicatiùs de ea disseramus. Est autē proprietas (vt verū fateamur) nihil aliud quàm natura: natura autē, est motus quietísq; initium, rerū actionúmq;, quę ipsis rebus insunt, propriæ, & peculiares. Tamen differre proprietas à naturâ dicitur, quemadmodum proprium à communi. at plebei philosophi aiunt discrepare inter se vt opposita: quod equidem à vero longè abest. Cæterùm, ab elementis ex quorum temperatura & mistura constituuntur ea, quæ generationi interituíque sunt obnoxia, primò quidem oriuntur quędam facultates, quas agentes appellant: vt scilicet ab aëre, terra, aqua, igne, quatenus sunt simplicia. Deinde aliæ sunt potentiæ in commistis, adepta scilicet temperatura, qua ad suscipiendum aptiora corpora reddūtur. Porrò duæ sunt hîc sectę: quarum altera censet dispositiones formarū statim in generatione ipsa adquiri: Altera verò putat eas inesse ab ortu materiæ. Indubitatum autem est, in compositis & mistis à forma potētiam emanare, quæ in simplicibus non adest: sed aptior fit ad recipiendū post simpliciū misturam. id quod exemplo Magnetis iudicari potest, vt dum in eo spectatur vis attractrix ferri: quam quispiam dixerit ab elementorū simplici

Proprietas.

Differētia.

Agentes facultates.

Duæ sectæ.

Magnes.

plici virtute proficisci, hoc est à summa illa & diuina prouidentiâ, quæ facultates omnes de potestate ad actum adducit, vel vt in elemẽtis reperiuntur: vel vt in mistis. Ipsa equidem à cœlo infusio, haud facultas est, nec forma ipsius: verùm ad suscipiendas vires aptitudinem præstat. Quæritur quandoque, cur ignis deurat? Cui quęstioni aliter respõderi haud potest, quàm propter calorem, quo nihil aliud significatur, quàm quòd ignis à natura vim habet comburendi. Consimiliter, si quæratur, cur Magnes ferrum trahit, quid rectiùs dici poterit, quàm dicere, Magnetem naturâ huiusmodi potentiam obtinere? vnde, qui compertũ habet ignem, ob calorem vrere, non indoctus censeri debet: sed rerum naturæ prudens. Idem de Magnete iudicãdum. Facultas in igne adurens aliud quidẽ nomen sortita est proprium: verùm non alia est, quàm in Magnete. Quidam vulgaris doctrinæ homines, aliud quiddam adferunt: non contenti iis, quæ suprà declarauimus: volunt nanque omnem actionẽ à corpore prodeũtem, fieri aut à caliditate, aut frigiditate, aut siccitate, aut humiditate, aut grauitate, aut leuitate, & id genus aliis, quæ in simplicibus inueniuntur corporibus. quare si rationem proferas non manifestam sensibus, & quæ alicui dictorum non attribuatur, censent principia quoque esse incognita: quod tamen falsum esse existimamus. Quippe eruditus vir satis nouit, quòd illa potentia vel à facultate naturali, vel animali, vel intelligendi, vel accidentali venit. Et quæ à nonnullis Magneti attribuuntur, quòd videlicet sua caliditate trahat ferrum, vel frigiditate, vel vti animatus, vel cum emissione corpusculorum instar ha

Quæstio de igne.

Opinio quorundam.

ſtar hami aduncorum, vel ſimilitudine, quam cum ferri natura obtinet, vel cum inanitate, quæ inſit ei, falſa omnino aſſerimus. nempe Magnes vim illam à tẽperatura ſortitur, quemadmodum ſtirpes nutriendi facultatem à temperamento nanciſcuntur. Hîc ignorantia duplex eſt. Vna, quæ principia agentia & generantia talem facultatem haud nouit: & hæc quidem non magis conuenit aliis naturis percognitis. Altera, quãdo dubitatur de cauſa propter quam vnũ quàm aliud potiùs ſuſcipiat hãc potentiam. Et iſta quidem non magis eſt peculiaris huic quàm cęteris rebus non cognitis. Sic enim colores odoréſq; ignoraremus, itẽ animæ potentias, & ſimilia. Quæ omnia ſuum eſſe à principiis agentibus aſſumere nouimus: quorum cauſa & author eſt Deus ille ſummus opifex. Hęc ſimpliciũ proportio, facit temperaturã: ſed quandiu inter homines viuemus, ignorabimus ſimplicem proportionem miſturæ. Patet igitur cauſas potentiæ Magnetis non admirabiliores eſſe, quàm cauſas ruboris aut nigroris, aut alterius cuiuſuis coloris: verùm aſſueta minùs miramur, indulgentiúſque cõtemplamur: rara autem admirabilia ſunt, excitántque nos ad conſiderationem cauſarum. Itaque ſtrictam colligimus proprietatẽ eſſe naturam inuentam in miſtis corporibus quę quidem à ſuperna & diuina benignitate emanat, tum etiam à temperamento peculiari quod particularem & propriam facit diſpoſitionem: differt nihilominus à natura. Proprietas enim appellatur & dicitur, facultas quę in miſtis reperitur corporibus: à qua tranſit in illa corpora operatio inſueta: quin & incognita quantum ad manifeſtam cognitionem: natu-

Falſę opiniones. Ignorantia duplex. Deus. Temperatura. Aſſueta. Rara. Proprietas quid. Differẽtia. Proprietas. Natura quid

ra verò

ra verò facultas eſt,qua ſimplicia agunt corpora. Vides igitur quò procedat imperitorum & plebeiorum de iis perſcrutatio. Haud ſanè dubiũ eſt, ignem fore admirabiliorem vulgo,ſi aut ex lõginquo & externo orbe ad nos deportaretur: aut ſi rarus inuentu eſſet. Et quidẽ eius proprietas admiratione digna eſt: qua ferè cuncta domantur:&ſine qua,vita humanior vix conſtare poſſet. Profectò in raritate illius & plurimæ & maximæ quæſtiones exurgerent, quando ſcilicet actionum ignis miracula pro ingeniorum captu excuterentur. Etenim de poteſtate in actum viſionẽ trahit,tactum arcet,ſurſum fertur, ferríque cogit, quæ ab ipſo vincuntur. Quid mirabilius, quòd vnâ huius ſcintillulâ maximæ vrbes poſsint conflagrari, atque etiam ſyluæ ſaltúſq; ingentes? cuncta enim ferè quæ attingit,exeſt,atque in ſuam eſſentiam trãſmutat: &, quod ſingulariter mirandum,quando quid ab eo detrahitur,minor tamen nõ redditur. Hęc qui non oſcitãter perpendunt atque conſiderant, longè excellentiorem huius facultatem, quàm ipſius Magnetis inuenient, aut aliarum rerũ huiuſmodi. Verùm quoniam vſitatiſsima ſunt & domeſtica, minus admirationis obtinent: atque etiamnum leuiùs contemplantur. Raritas rerum, vt Magnetis, adducit nos in admirationem,deinde in ſpeculationem & perſcrutationem:quippe & philoſophia inde cœpit.

Ignis frequentia.

Ignis vis admiranda.

Operationes medicamentorum.

OPERAE PRETIVM fuerit explicare ſpeciatim operationes medicaminum, quæ cordi vtilia & amica

exiſtunt

existunt. Etenim perplenè de ijs cumulatissiméque disserendum. Priùs tamen quàm id aggrediamur, conuenit vniuersim de qualitatibus omnium medicamentorum scribere. quippe ipsis medicaminibus qualitates quædam adsunt primò, & per se:vt caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, tenuitas, crassitudo, lentor: quin & colores, & odores: aliæ verò ab affectu, quem corporibus adferũt, attribuuntur. Calidum medicamentum dicitur, quod adhibitum corpori, calefit à potentia eius naturali primò: mox verò ipsum corpus excalfacit. idémque de frigido, humido, siccantéque censendum. Tenue autem, quod celeriter, in tenuia appositum, soluitur, vt cinnamomum, accrocum. Crassum, quod id perpeti nequit, & contraria prædicto præstat, qualia sunt cucurbita, & gypsum. Coagulans quod frigore concretum, liquatur calore: & quod calore fusum, algore concrescit: cogitúrque fluidum ac liquidum: cuius partes facilè à loco mouentur, abeúntque. Lentum, quod distenditur, absque intercisione: Comminubile, vt ita dixerim, quod à leui causa in minimas portiunculas partitur: At sapor, odórque satis noscuntur. Qualitatum, quæ medicamentis attribuuntur ab effectu, quem in corpore relinquunt, quasdam sumi oportet ab actione absoluta: alias verò ab actione relata speciatim ad nonnullas partes. Primæ igitur sunt, quum dicimus, medicamentum attenuans, aperiens, relaxans, incidens, abstergens, attrahens, mordens, dissoluens, asperum, rubrificans, vlcerans, pruritum excitans, adurens, corrodens, putrefaciens, escaram faciens, concoquens, digerens

Qualitates.
Calidum medicamentum.
Tenue.
Crassum.
Coagulans.
Fluidum.
Lentum.
Commminubile.
Sapor.
Odor.
Effectus.
Qualitates primæ medicamentorum.

gerens, inflans, flatum discutiens, & cætera. Sunt ve-
Aliæ. rò & aliæ qualitates, quum dicimus, medicamentum
purgans, sudorem prouocans, vrinam ciens, vomi-
torium, adstringens, obstruens, cicatricem inducens,
sarcoticum. quæ singillatim declaranda duximus.
Medicamentum attenuãs. Attenuans medicamentum est, quod succi substan-
tiam tenuem reddit, leniter scilicet soluendo, ac cum
Discutiens. calore temperato. Discutiens, siue Dissoluens, quod
ob insignem caliditatem, humorem in vaporem abi-
Abstergens. re cogit, illúmque euocatum depopulatur. Abster-
gens, quod à partium superficie, & osculis meatuum
(Poros vocant) lentas concretásque humiditates
Asperans. aufert. Asperans, quòd partem diuersarum partium
efficit, quo ad situm. Fit autem absterforium exaspe-
rans, quando adplicatur parti solidæ substantiæ: cu-
Aperiens. iusmodi sunt os, carthilago, neruus. Aperiens est,
quod non solùm meatuum ora recludit: verùm ea,
quæ intus, & in alto sunt, foras euocat, atque elicit.
Laxans. Laxans, partium essentiam (quæ scilicet meatus den-
sos obtinent) leniorem reddit calore humiditatéq;,
vnde expulsio superuacuorum in ipsis contentorum
Lauans. fit lenior. Lauans abstergit, sed non id quidem agente
facultate, sed patiente, hoc est, humiditate: quæ per
ora meatuum discurrens, lenit humores lentos coa-
ctósque, qui illic adsunt: miscetúrq; ijs, quia lubrica:
Aqua hordei. cuius generis est aqua hordei. At si côiunctam abster-
soriam vim habeat, lotrix illa potentia validior erit:
Aqua saponis. huiusmodi verò est aqua saponis. Incidens, tenuium
Incidẽs. est partium: quod subire potest tum partes ipsas, tum
humoris lenti superficiem, éaque separare: opponi-
Emplasticum. túrque emplastico obstruentíque: vt crasso tenue. At-
trahens

trahens sua insigni vi succos intus latentes euocat, & id aliàs proprietate, aliàs caliditate. Calor quidem soluit ac liquat, & in locum humiditatis fusæ succedit alia, vt vacuum vitetur. quin & rarefacit: ideóque attractio ad inane implendum fit. Calor item dolorem mouet, dolor verò attrahit ad locum affectum, & partem illam imbecilliorem efficit, & proinde promptiorem ad fluxiones suscipiendas. Mordens subit tenuiter, continuíque solutionem adducit multifariám. Et quanquam exiguum sit: tamen adpositum, dolores excitat. Rubrificans, quod partem cui adhibetur, suo feruore immoderato excalfacit, vsq; adeò, vt euocetur sanguis subtilis foras ad cutem: vnde ruber fit locus. Talia sunt, quæ ex synapi conficiuntur (synapismos appellant) & stercus columbarum agrestium: quæ quandoque vicem cauteriorum implent. Exulcerans, quod adeò potenter partem rubrificat, vt liquet humiditatem occurrentem, indéque vlceret: quippe trahit excrementa ad locum. id genus est Anacardus: pruritum excitans facultate acri & calida, succos mordaces elicit ad meatus: sed tamen vlcerare minimè valet, vt Sagapenum. Adurens, quod in succis exhalationem parit: relinquítque vstorum cinerem in corpore: cuiusmodi esse Euphorbium constat. Corrodens, quod liquando & vlcerando carnis essentiam absumit. Putrefaciens, quod partem corrumpit, fundendo spiritum natiuum, calorémque ipsius discutiendo: & id neque rodit, neque adurit, neque dolorem concitat: sed humiditatem relinquit: in quam agit calor præter naturam. & hæc humiditas ita calefacta, putrefactio appellatur. Talia

Attrahēs. Dolor. Mordēs. Rubrificans. Synapismos. Exulcerans. Anacardus. Pruritum excitans. Sagapenum. Adurens. Euphorbium. Corrodens. Putrefaciens. Putredo.

Cauteriſans. verò ſunt Sandaracha, Arſenicū, & Aconytum. Cauteriſans ſiue cruſtam faciens, cutem vrit, eiúſque abſumens humiditatem, corrugari cogit: eo modo quo igne combuſta retorridáq; ſpectantur. proinde cutis

Purgans. eſſentia efficitur obſtruēs meatum ſucci fluentis. At purgans medicamentum bifariàm dicitur: aliàs enim quod communiter de omni, quod quouis pacto animalis excrementa expurgat, aliàs per excellentiam de ijs intelligitur, & dicitur ſolummodo, quæ aut per aluum, aut per vomitiones purgant corpus. Quæ autem purgant, ipſa vim trahendi obtinent: hæc quidem vnum, illa autem duos aut tres ſuccos trahunt:

Vrinam cientia. Méſes. & purgant familiares. Vrinam verò mouentia plurima ſunt. Nam & quæ menſtrua citant, lotium quoque eliciunt, & ea calefaciunt quidem ſatis violenter, ſed non perinde deſiccant. Sunt etiam quædam modicè calida, quæ tamen minimè ſiccent. Porrò ſunt quæ peculiariter vrinam prouocare animaduertimus: quæ tum areſaciunt, tum calefaciunt: & hæc menſes haudquaquam promouent, ſed ſolam

Sanguis. vrinam: acria verò ſunt propter calorem. Sanguis verò tum extenuatur, tum funditur, ac ſecernitur ab ijs: ſerum enim ſanguinis ſegregant, ac cogunt craſſum. Ex nuper cōmemoratis medicaminibus alia quidem remedijs affectuū cordis vtilia ſunt, alia ve-

Vtilia cordi. Purgātia. rò haudquaquam. Quæ verò vtilia ſunt, primùm explicare oportet. Purgantia itaque cor bifariàm corroborare certum eſt: quippe noxiorum ſuccorum euacuationem præſertim moliuntur: aut ab vniuerſo corpore: aut à parte aliqua, veluti cerebro, hepate, aut alijs. Secundò auxiliantur cordi, quando

illa

illa quidē euacuatio non expetitur:sed sanguinis(qui ineſt cordi)expurgatio:vt deinde spiritus synceri,puríq; gignātur.profectò id præstatur,quando Cyaneū lapidē aut Armenium cordis medicamētis adijcimus: quorum facultates ad cor peruenietes tantam firmitatem huic addunt:vt posteà facilè propulset succum atribiliarium,secernátq; à sanguine. Quin & halitus vaporosos,& melancholicos discutit.Quo etiam efficitur, vt non minimùm cerebro ab huiusmodi cordis robore commodum accedat: sed noxa,quæ à purgantibus remedijs cordi aduenit,haud exigua est.purgatio etenim solet duplex incommodum adferre. Vnum,& primum,quòd simul cum inutili vtile ac vitale excernitur. Alterum, quòd attrahendo à partibus, quod graue erat atq; noxium, in alias decūbere parteis facit,atq; illic figi:ideóque tunc corpori imbecillitas & pigritia contingit. verùm aduersus immodicæ purgationis mala Theriacen exhibere, præsentissimum erit remedium. Quin & antidotus illa Mithridatis tantopere celebrata, eximiè auxiliabitur, aliæque antidoti, de quibus in libris nostris, quos De antidotis conscripsimus, vberiùs disseruimus. Theriace vomitiones aluíque profusiones compescit, firmátque vires: atque si quid deleterij adfuerit, purganti medicamento, quod visceribus adhæreat, expurgat depellítq;. Hippocrates rectè prædixit ac verè, purgans medicamētum tum euacuare tum nocere,& senectutem immaturā adferre. Porrò præstantius auxiliū purgatio subministrabit iis quos mœstitia affligit: quàm ijs qui corde sunt imbecilliori, nēpe mœstorum spiritus impuros expurgat atque minuit.

Sanguis qui in corde.
Lapis cyaneus.
Armenius.
Incōmoda purgationis.
Theriace.
Mithridatis antidotus, & eius vsus.
Mœstit.

At cordis temperamentum vitiat, ipsúmque viscus debilitat. Præterea, vrinam mouentia, atque ea, quæ sudores cient, vtilia esse cordis imbecillitati compertum habemus: quam sanguinis tenuitas atque aquositas (vt sic dicam) efficit. Sunt autem aduersa mœstitiæ affectibus: qui ex crasso turbidóque & atribiliario sanguine oriuntur: quippe tum crassiorem tum sicciorem sanguinem efficiunt, quin & turbidiorem & magis melancholicum. Cæterùm, sanguinis vacuatio imbecillitati cordis, quæ paucum & frigidum sanguinem consequitur, noxia omnino erit. Contrà illi, quæ à caloris natiui strangulatione & immodico sanguine aduenit, præclarè succurrit. Id verò in quibusdã cordis tremoribus euidenter spectatur. Extenuantia commodè miscentur medicamentis, quæ dari conuenit mœstitiæ ex turbido sanguine exortæ: itémque infirmitatibus cordis à crasso gelidóque sanguine factis. Sunt autem ista, quæ impediunt ne multus temperatúsq; spiritus gignatur. Quin etiam abstergentia & aperientia misceri quoque vtiliter, experimento multo didicimus, vt videlicet permeare cogant ad cor auxilia, quæ minimè subire ac penetrare possent. Cuius generis sunt terra Lemnia, & Succinũ. Adhæc, flatuosa mirificè noxia sunt mœstitiâ tentatis, & cordis imbecillitatibus: quandoquidem immodicis inutilibúsque, & alterari vincíque contumacibus vaporibus, spiritus implent. Atque eodem modo, quo partes offenduntur ab excrementis superuacaneis, eodem spiritus à flatum parientibus læduntur. Etenim caliginosi spiritus inde fiunt, & grauiores minúsque apti ad suas facultates & opera. porrò hæc

Sãguinis vacuatio.

Cordis tremor.

Terra lemnia. Succinũ. Flatuosa.

vitia


vitia mœstitia cordis infirmitati coniuncta, sequi solet. Adstringentia autem & lenta, haud inutiliter adduntur cordis præsidijs: vt scilicet spiritus vnitos & coactos detineant ac conseruent, & efficiant, ne à leui causa agitationis huc vel illuc vagentur & disgregentur, dissipentúrve, præclariùs opitulantur cordi infirmo, quàm mœstitiæ: quippe hæc ex crasso, turbido & caliginoso crebriùs oriri sanguine spirituque videtur. Cordis verò imbecillitates, tenuitas sanguinis atque spiritus frequentiùs commouet. Repellentia admouentur cordis affectibus: vbi cor à calore intemperato inualidius fit.
Adstringentia. Lenta. Mœstitia. Cordis infirmitas.

Stupefaciens additur, ne vis medicamentorum, quæ affecto cordi adhibentur, in itinere ipso antequàm ad cor perueniat, pereat: atq; ité in ipso viscere tandiu moretur, donec auxilij vim sentiat. Est autem id generis Opium. Cæterùm, adnotasse hîc oportet, cuncta medicamina, quæ corroborant singulari quadam potentiâ venenis aduersante, misceri affectuum cordis remedijs. Adhæc, hominum naturæ ac vitæ (cuius fons atque origo cor habetur) sunt eximiè amica ac familiaria, quę sua peculiari & insita proprietate cor omnino tuentur, cauentque ne maceretur venenorum tabe. Ex horum albo Doronicum, Moschus, Ambar, & similia existunt. Verùm (vt summatim perstringam) quæcunque exhilarant, atque cor corroborant, venenis repugnant. Sed non continuò omnia, quæ venenis aduersantur, exhilarare pronuntiandum est: quoniam inter hæc, quædam immodicè sunt calida: veluti Castoreum: quædam vehementer frigida, vt succus lactucæ, & semen
Stupefaciens. Opium. Venenis aduersantia. Cor. Castoreū. Lactucæ succus.

portulacæ quoque. Hæ verò qualitates medicamentis variè conueniunt. Deleteria vel qualitate sola, vel tota substantia & qualitate simul coniuncta nocent. Adhæc, fortè conuenit atque est necessarium, vt quod contra venena prodest (siue ea calentis, siue gelidæ fuerint naturæ) eximiè excalfaciat, pluribus de causis. In primis, vt sit spiritus vehemens motus: deinde, vt longiùs diffundatur ad expugnandum & hebetandum, propulsandúmque foras atra venena: priusquam cor inuadant & afficiant: postremò, vt adurat atq; absumat ocyùs deleterij vim pernicialem, nec tamẽ spiritibus noceat, sed potiùs foueat, ac tueatur potentia illa, qua repugnare venenis existimatur. Quod vomitum concitat, cordi ob id cõferre censetur: quoniam spirationem leniorem atque liberiorẽ facit: vnde ipsum viscus posteà meliùs ventiletur. Quæ discutientia vocitãtur, infirmo cordi mirificè aduersa sunt, & mœstitiæ inutilia: nisi à crasso gelidóque spiritu ortum habeant, & in corde cõtineantur succi flatuosi. Equidem incommoda existunt cordi imbecillo: quoniam dissipãt spiritus paucos ac tenues. id enim quod discuti contingit, cuiuscunq; sit essentiæ, flatus halitúsque naturam repræsentat: mœstitiæ verò inutilia ob id erunt, quòd quando à pauco spiritu nascitur, qui facilè discutitur, minor spirituum moles fit, atque etiam tenues & sereni spiritus obturbantur spissantúrq;: quia quod subtilius inerat, abigitur. proinde si quando vsus eorum necessarius sit, misceri corroborantia oportet, & adstringẽtia & lenta. Hæc autem sumi debent ex materia cordi amica, cuiusmodi esse myrthum, & myrobalanos chebulas constat.

Deleteria. *Vomitũ concitãs.* *Discutientia.*

Simplicia




SIMPLICIA MEDICAMENTA
Cordi amica.

AMBAR.

DE Ambare fusiùs in libris De simplici medicina, disseruimus, & quid esset, docuimus: nunc quæ huic negotio conueniunt, tantùm exponemus. Ambaris igitur natura calida est, atque sicca, abscessu secundo: quin & singulariter exhilarat, & cor roborat: quæ quidem efficaciùs potest propter odoris suauem gratiam. Spirituum prætereà essentiæ omni confert, & cumulatiorem reddit: principibus autem corporis partibus vtile atque amicum est. Porro tenue, & lentum & firmum est, moschóque magis temperatum.

De Auro.

AVRVM inter hyacinthi, argentíque dotes, medium quodammodo esse videtur: sed nihilominus hyacintho inferius, argẽto verò præstantius censetur. Et quanquam temperatum sit: ad calorem tamen proximè accedit. Sed à proprietate effectus mirabiles in cordis affectibus subministrat.



De

De Argento.



RGENTVM quadamtenus refrigerat: atque siccat, eadémque potest quæ hyacinthus, sed multò imbecilliús.

De Oxalide, quæ vulgo Acetosa dicitur.



XALIS etsi temperatura ad mali citrini succum propè accedat, nec videatur eo inferior: tamen eius proprietas multò est obscurior.

De Agarico.



GARICVM quid sit, notum est. Huius autem temperamentum calidum ac siccum, venenísque omnibus aduersatur. Quin & ob tenuitatem (quam à calore nanciscitur, aperiendi vim non obscuram obtinet, & expurgandi succos turbulentos: quibus sanè cor exhilarat & roborat.

De Basilico siue Ocymo.



CYMVM, est ex primo ordine calfacientium atq; siccantiũ: pariter odoratum, simul ac adstringens. Parit autem lætitiam proprietate: cui auxiliaria sunt, odoris excellentia,

adstrictio

adstrictio, & tenuitas. Veruntamen (vt verè loquamur) vsus eius frequens parum commendatur ad hilaritatem mouendam: quandoquidem id quo alit, aduersatur viribus: quas (vt medicamentum) præstare diximus. Etenim si pro cibo sumatur, sanguinem turbidum, atribiliariúmque generat. prætereà, sua excrementitia humiditate flatus in venis excitat. quæ noxia esse non est obscurum.

De Been vtroque: Behennum alij dicunt.

BEEN duplex inuenitur: candidum ac rubens. vtrunque tamen calefacit, atque siccat: sed rubrum calidius quidem est. vtrique adstrictio, tenuitas, & aperiendi facultas. Quibus ad hilaritatem ciendam, & cor firmandum iuuari proprietatem aliôqui eximiam certum est.

De mâlo Citrio.

CITRIVM mâlum, vel (si mauis) medicum, vulgatissimæ est notitiæ. Cuius corium inter ea reponitur, quæ pariunt lætitiam, & venenis repugnant: quam proprietatem calor quo præditum est, mirè adiuuat. Calet abscessu tertio, atque arefacit. Porro folia florésque viribus huic proxima sunt: verùm tenuitate præstantiora. Cæterùm, liquor acidus, cordis intemperaturam calidam siccámque mirificè leuat ac recreat: morsibúsque

búsque bestiarum venenatarum egregiè opitulatur. Vis autem eius refrigerat, atque arefacit abscessu tertio. Semen verò contra venena præclarè facit: robúrque cordi adiicit: quippe spiritus solidiores efficit: ipsum autem in albo tertio abscessu refrigerantium simul ac siccantium consistit.

De Coralio.

CORALIVM, abscessu primo refrigerat: siccat verò secundo. At peculiariter cordi amicum creditur, hilaritatémque facere. adiuuatur autem nobilis illa Natura ab adstrictione & abstersione quæ huic adsunt. Quin & spiritus splendidiores firmioresque efficit.

De Cinnamomo.

CINNAMOMI vires in lætitia promouenda singulares promittimus. Calet abscessu tertio, simúlque exiccat: ac mediocriter adstringit. Hos verò effectus reddunt efficaciores odor, summáque ipsius partium tenuitas. quæ equidem faciunt, vt non minùs opis præbeat, quàm ipsa Theriace.

De Croco.

CROCVS secundi ordinis est concalfacientium, arefacientium autem primi. Proinde concoquendi vim obtinet: quæ adstrictione

& di

& discussoria potentia adiuuatur : cordi in primis roborando vtilis. Quin & peculiariter essentiam spirituum recreat, instaurátque, illustrat, & serenat, diducit, pariterque solidiores præstat. id quod summo odori acceptum referunt: quippe quòd hilaritatem vel eximiè concitet, notissimum est. Si edulijs immodicè adijciatur, spiritus præter modum diffundit, elicítque foras. Quo fit, vt iam non alimentum, sed medicamentum etiam exitiale & mortiferum sit. modi autem dationis huiusmodi, ne meminisse quidem, nedum docuisse oportet, ne venefici vtantur.

De Caphura.



APHVRA, tertio ordine friget, siccátque: spiritus autem essentiam seruat, ac tuetur, si modus adsit. Auxilio item est spiritibus à calida intemperie vitiatis dissipatísque: odore autem omnem intemperaturam ocyùs adiuuat. Sed huius algor tēperatur Ambare ac Moscho: siccitas oleis humectantibus atque odoratis: cuiusmodi est violarum lutearum. Prætereà, venenis calidis inimica est: spiritúsque splendidiores & tenuiores facit. Pariter quoque lætitiam adfert, & cordi robur: quos eosdem effectus potest præbere Succinum: verùm inualidiús.

Violæ luteæ.

Succinum.

De Corianno.



ORIANNVM, siue Coriandrum, vim obtinet refrigeratricem abscessu secundo, siccantem verò altero, vel (vt alij) tertio. Potest

autem

autem proprietate sua tum cor firmare, tum exhilarare. Sed ante cuncta, visceris calentem intemperaturam hebetat ac lenit: odorem enim, & adstrictionem habet.

De Calamintha.

CALAMINTHA, spiritus qui in cerebro consistunt, præsertímq; pituitosos tem perat; quippe insigniter calenti arentíque naturâ est: quare in calidioris cerebri affectu obtundi postulat. Id autem contingit, si cum oleo violaceo temperetur. sed ne omnino odor aboleatur, studiosè cauendum. At illa (quod equidem legerim) spiritibus cordis parum opitulatur. Verùm ex ijs, quæ dicta sunt, aliquid prodesse, intelligere possumus.

De Casia.

CASIA fistula, quam ligneam aliqui vocarunt, eadem ferè potest, quę cinnamomum, proximéque ad huius temperaturam accedit: tamen tenuitate à cinnamomo vincitur.

De Carne.

CARO, etsi alimentum simpliciter dicatur: aqua tamen eius imbecillitati cordis vtilis est. Quæ si ex carnibus boni succi paretur, de

(de quibus alibi plenè disseruimus) præstantissimum erit remedium in cordis imbecillitate. Quæ si contingat à spiritus parcitate, & inopia, carnes valentioris nutrimenti, probíque succi adsumemus. quando verò à spiritus crassitudine, turbulentia, penuriáque generatur, leniter alentes, & facillimè concoctu carnes perutiles sentientur. Medicorum quidam falsò existimarunt aquam carnis, eam esse, in qua carnes incoquuntur. Etenim reuera est liquor ille, qui ex carnibus minutatim concisis & percoctis effluit, atq; exudando relinquitur, qui posteà expressus excolatur & propinatur. Error quorũdam.

De Doronico.

DORONICVM, calidum ac siccum initiò ordinis secundi, cordíque in primis amicum, tum roborandi potentiâ, tum exhilarandi. Quin & venena debellat omnia: quando verò feruorem huius reformidamus, malorum Matianorum succo admiscemus. Præterea, in affectibus cordis calidioribus additur momentum caphuræ: vt remittatur calor, nec tamen aboleatur proprietatis ipsius facultas.

De Emblycys myrobolanis.

DE horum temperamento non conuenit planè inter medicos. Sunt, quorum est numerus maior, & opinio rectior, qui frigidos siccósque putant: sed & hi inter se dissident. alij enim

enim in primo abſceſſu eos collocant, quidam in ſecundo: nos verò in fine primi ordinis refrigerantium ponendos ſtatuimus, & in ſecundo ſiccantium. hæ adſtrictionis auxilio non parum cor recreabunt. Hebræus Iſaacus ſcripſit (vt ferunt) calidas eſſe. Si affectibus gelidis exhibere oporteat, modico temperentur calore. Quin ſpiritus condenſant atque confirmant. Mœſtitiæ, quam ſpirituum tenuitas adfert, opitulantur. Etenim prohibent ne diſsipetur celeriter. Præterea, memoriæ atque menti vtiliſsimas eſſe compertum eſt: quippe non ſolùm cordis viſcus expurgant ac corroborant, verùm etiam cætera omnia interna.

Iſaacus hebreus.

De Cicorio.

CICORIVM agreſte in paucis, repugnat venenis. Cordis item affectibus huius decoctum prodeſt, vel extrà impoſitum. Vis autem refrigerans atque ſiccans.

De Piſtachijs.

PISTACHIIS ineſt odor aromaticus, & adſtrictio cum quodam lentore: eſſentiámque obtinent tenuiorem: quare cordi grata eſſe in primis pronuntiarunt medici, cæteriſque viſceribus haud vulgariter conferre. Præterea, ſiue edantur, ſiue potu ſumantur, reſiſtere venenis exploratum eſt.

De

De Hyacintho.

HYACINTHVS, temperatæ est naturæ, inéstque ei proprietas corroborandi cor exhilarandíque, omnibúsque venenis repugnandi. sed hæc proprietas id genus est cuius nuper diximus proprietatem Magnetis. Cæterùm, quæ in vniuersam huius gemmæ contemplatione examinanda sunt, impræsentiarum explicabimus. Absurdum igitur asserimus, credere hyacinthum intrò datum, à calore natiuo transmutari dissoluíque, & spiritum essentiæ exhalabili, euaporabilíque commisceri. quod tamen croco & similibus accidere nouimus. Attamen eius essentiam ab innato calore pati fatendum est: vnde posteà effectus eius emergant & manifestentur. Sensibus quidem patêre potest hyacinthi substantiam vix ab insito calore adfici. Ideóque credi posset calorem illum nec adficere huius essentiam, nec accidentia, quæ formæ ipsius inhærent, sed solùm quantnm ad prædicamentum Vbi, agere: quippe vnà cum sanguine facit subire atque penetrare ad cor. Proinde quò propius venerit, eò validiùs agit, & suos effectus patefacit. Agit etiam qualitatibus accidentalibus, nempe excalfacit hyacinthus. excalfationis autem potentia est, vt manifestet proprietatem, & eliciat vim; id verò in Succino satis liquet: quod paleas minùs validè attrahens, fricatur. qua frictione incalescit: validiúsque tunc paleas rapit. Igitur illo attritu vim concalfactoriam concipit; qua id potest præstare excellentiùs, quàm anteá. Huiusmodi verò erit hyacinthi

Proprietas.

Succinum.

D potestas

potestas effectúsque. Porrò eius tum proximitate, tum longinquitate distabunt. Etenim quò propior aderit, eò celeriùs & efficaciùs aget: itémque quò distantior, eò tardior & inualidior erit. Quod autem ab antiquis proditum inuenimus, hyacinthum gestatum, aut ore contentum, exhilarare, indicio magno est, ad lætitiam gignendam, alterari eius substantiam, haud necessarium esse, nec quæ ei insunt accidentia. Quinetiam non esse necessarium, vt quod patitur, ab ipsa tangatur. Satis vtique erit, vim hilarandi quæ ab hyacintho emanat atque inspiratur, passim attingere: quanquam effectus roborentur & adiuuentur excalfactione atque propinquitate, quemadmodum cæterorum, quæ agere proprietate diximus. Sed huius gemmæ proprietatem haud obscurè promouent vis abstergendi, & spiritus illustrandi, itémque temperatura moderata.

De Succino.

SVCCINVM ordine primo calet: siccat secundo. Nonnulli tamen putarunt esse frigidum. Refert autem quadamtenus odorem Caphuræ. Cordis robori mirè confert, & hilaritati, temperátque spiritus, solidioré sque efficit.

De Buglosso.

BVGLOSSVM abscessu primo calidum humidúmque collocant: cui peculiare inest, hilaritatem præstare: quoniam (vt aiunt) cor

cor expurget. Commendatur in primis, quod Corintho ad nos importatur: cuius folia densa, plurimáque lanugine obducta: & quæ siccata nec contrahuntur, nec corrugantur. Nostrates quandam aliam herbam haud quidem absimilem huic, pro Buglosso vsurpant: quæ eadem ferè potest præstare, sed imbecilliùs tamen.

De lapide Armenio.



LAPIS Armenius, Cordis affectibus conuenit. Etenim habitus fœcundos & melancholicos secernit, segregátque à mole spirituum. Quin & purgat succum atribiliarium: qui in vniuerso corpore constiterit.

De Cyaneo.

CYANEVS eadem omnia potest, quæ Armenius, veruntamen obscuriús.

De Lazulio.

LAZVLIVS lapis siue Lazurius: quo vocabulo Græci quidam vtuntur recentiores.

De Iride.



IRIS croco proxima est tum naturâ tum proprietate: minùs tamen calefacit ac siccat atque roborando cordi vtilior est. Crocu-

verò hilaritati conuenientior Iris spiritus cogit: solidiorésque seruat; at croco vehementer diffunduntur & foras adducuntur. Porro deliquio animi Iris præclariùs succurrit, quàm crocus: quippe lentiùs diffundit spiritum, intúsque continet.

De Agalocho.



GALOCHVM siue xilo aloës (vulgus Lignũ aloës vocat) similes ferè habet effectus quos Ambar: sed tamẽ imbecilliores. porrò temperatæ est naturæ; viscerâque omnia firmat, simul ac recreat.

De Myrtho.



YRTHVS videtur ex duabus contrariis substantiis constare; attamen vincit terrenum frigidum: habet autem tenue quiddam calidum; ideóque valenter desiccat. Est verò odorifera: qua gratiâ spiritibus amica est; quemadmodum & adstrictione atque tenuitate. Expurgandi quoque vim obtinet, & in totum myrthus cordis affectibus mirè confert proprietate, quam adiuuat temperatura.

De Myrobolanis Chebulis.



HEBVLAE Myrobolani ordinis primi sunt refrigerantium, & secundi siccantium, adstringendi item vi præditæ sunt. Престереа, purgant

purgant proprietate temperamento iuuante. Ad hæc, Iudæ id quidem validiùs possunt. vtræq; autem cordi robur adferunt, ipsúmque expurgant: & hilaritatem faciunt. Inde.

De Apiastro.

MELLISOPHYLLON calefacit arefacítque abscessu secundo. Huic autem mirabilis inest proprietas: qua & lætitiam pariat, & confirmet: cui auxiliantur egregiè odor, & essentiæ tenuitas, atque adstrictio: quibus visceribus omnibus, commodum est. Cæterùm, vim quandam purgandi leuiusculā obtinet, qua sanguinis cordis, spirituúmq; halitus melancholicos propulsat ac deiicit.

De Moscho.

MOSCHVS tertio calefacit abscessu, atque siccat: eosdémque præbet effectus quos crocus. non tamē crocus pro moscho semper, nec vbiq; substituitur. Aduersatur (si quicquā aliud) aconyto, & histricis aculeorum vulneribus. Temperatur eius calor Caphura, siccitas oleis humectantibus: cuiumodi sunt rosaceum ac violaceum.

De Mimnia.

MIMNIA in fine tertij abscessus calentium reperitur: siccat verò, vt fertur. Primò huic adprimè singularis proprietas adest in par-

tium vniuersarum corporis robore firmando: quare ex alto lapsis vtilissimè exhibetur. est autem modico prædita lentore.

De Mentha.

MENTHA odorata est: habétque dulcedinem amaritudini immistam: cum quadam commoda adstrictione. Quæ cuncta lætitiæ promouendæ conferre certum est. excalfacit autem in fine primi absceßus, arefacit in principio secundi.

De mâlo Granato, siue Punico.

MALVM punicum (præsertímq; quod dulce est) spiritibus vtile atq; amicum est: præcipuè verò iocinoris spiritibus commodum.

De Margaritis.

MARGARITAE pares sunt succino, tum naturâ, tum vi illustrandi ac claros spiritus efficiendi: veruntamen hæ facultatibus aliis excellentiores existunt.

De mâlis Matianis.

MALA Matiana ordine primo refrigerant, pariterque siccant. Quibus adest proprietas singularis tum præstandi hilaritatem,

tum

tum cor ipsum roborandi, atque spiritus: quæ ideo validiùs efficit, quoniam odore, saporísque suauitate adiuuatur. Porro cibus & medicamentum existunt: quamobrem præclarè alunt, spiritus fouent, ac temperant.

De Nymphea.

NYMPHEA ad Caphuræ vires proximè venit: magis tamen humectat: ideóque spiritus cerebri animales (si quidem humectari non postulent) offendit. pigros etenim torpentésque efficit. at cordis spiritus vitalis magnis à Nymphea commodis adficitur: quippe & proprietate, & odore insigniter ipsum recreat. frigus autem quo est prædita, temperatur Croco atque Cinnamomo.

De Ouis.

OVA in primis contribui debent ijs alimentis quæ instaurationi spirituum dissipatorum absumptorúmque conueniunt: præsertim verò gallinarum, perdicum, & phasianarum auium: harum enim carnes boni esse succi satis compertum habetur. Cæterùm, vitellos in cibos tantùm recipiendos censeo: sunt enim temperatæ naturæ, ocyssiméque in sanguinem commutantur: qui ei à quo solet cor ali, cognatus & penè similis sit: tenuis nanque, purus, & serenus existit, statímque cor subit. Adhæc, ouorum nutrimentum parum excrementorum relinquit.

De Thure.

THVS absceſſu ſecundo concalfacit: ſiccat autem primo. Recreat ſpiritus animales pariterque vitales: proinde mentis hebetudini obliuioniq; medetur: huius verò effectus propemodum dixerim pares inueniuntur iis, quos Been vtrunque præſtat: tamen cor non æque corroborat atque illa: verùm quoniam odoratiùs, in peſtilentia ſuffitur vtilius. Quin & venenis egregiè repugnare certũ eſt.

Been.

Peſtilẽtia.

De Polypodio, ſiue Filicula.

FILICVLA, cor, cerebrum, totúmq; ipſum corpus atræ bilis ſucco liberare creditur: facultatẽ enim obtinet purgandi: qua de cauſa præſtare hilaritatem non ineptè fortè quis dixerit.

De Pyris.

PYRA quidem quæ odore præſtant, cordi amica, gratáque exiſtimantur. verùm non perinde ac Matiana mâla: quorum effectus auget & ampliat adſtrictio: quæ ipſis ineſt: naturâ autem ſunt refrigeratrice.

De Peonia.

PEONIA quodammodo caloris frigoríſq; medium tenet: verùm vehementer ſiccat. Quin & adſtringit: éſtque partium tenuium

quibus

quibus validior efficitur eius proprietas. hac nanque spiritus cerebri, ipsúmque cerebrum superuacuis expurgat, atque liberat: quippe inde & pituitatem, & atram bilem educit: cerebro verò tantum roboris adiicit, vt deinceps non tam facilè promptéque huiusmodi noxios succos admittat. Cæterùm, etsi scriptum non inuenio periuiàm cordi opitulari: tamen non dubito, quin præclarè huic conferat.

De Rosa.



OSA quemadmodum Myrthus, variam habet substantiam, aliam scilicet ordine secundo refrigeratricem, aliam verò calfacientem primo: aliam item, quæ lenit & humectat: aliam, quæ densat siccátque. Confert odore spiritibus calidioribus: refrigerat enim. quin & ipsos corroborat ac continet sua adstrictione: propterea animi defectibus, & cordis affectibus auxiliatur: itémque cæteris visceribus amica est.

De Serico.



ERICVM, præsertímque crudum, ad hilaritatem mirè conducit præstandam. Sed & coctum (quod tincturæ expers fuerit) ad id vsurpatur. Calfacit autem atque arefacit abscessu primo. Substantiæ est raræ. ac tenuis atque splendidæ: ideóque proprietas talium societate atque ope cumulatior sentitur. Etenim spiritus firmat, continet, abstergit, serenat atque illustrat: verùm vitali

haud tantum prodesse constat : quippe animales quoque iuuat : memoriam enim stabilit, atque instaurat : visúmque recreat, si oculi eo colluantur. Porro iocinoris spiritui amicum omnino esse nemo inficias ibit : præsertim qui vtentes eo, obesari spectauerit. quod equidem minimè efficit, quia corpus temperet, sed quoniam spiritum naturalem magis aptum ad alendum ipsum præstet.

De Stechade.

STECHAS, præcipuè ex Arabia aduectum, concalfacit ordine primo, & arefacit secundo : deiicítque peculiariter aluum, & purgat succum atræ bilis : qui vel in cerebro, vel corde reperitur. Vnde & cordi firmitatem adiicere, & hilaritatem facere putatur : spiritúsque serenare : quin & adstrictione moderatè eos continere, ac stabilire. Præthereà, memoriam tuetur, deperditámque restituit. Adhæc, percussibus serpentum & venenatarum ferarum egregiè resistit, atque medetur.

De Santalis.

SANTALI proprietatem mirabilem obtinent ad lætitiam procreandam : habent odorem suauem : essentiæque tenuitatem; & vim adstrictoriam : quibus egregiè ampliatur & roboratur proprietas. Natura omnibus refrigerandi est. Sed candicans valentiùs id præstat: quod verò ubet, imbecilliús. vtrunque & refrigerare & siccare

abscessu

abſceſſu ſecundo credi poteſt.

De terra Lemnia.

TERRA Lemnia temperaturæ hominis propinqua foret, niſi humectationem ariditas ſuperaret. Abſtergit quoque, & quendam obtinet lentorem. Cæterùm, mira eius proprietas ſpectatur tum in præſtanda hilaritate, tum corde roborando atque tuendo. Aduerſari quoque venenis omnibus exploratiſsimum habetur: quippe præſumpta, vel à cibo exhibita, epotum venenum expurgat, propulsátque vomitu. Quinetiam ſpiritus illuſtrat & expurgat, atque adſtrictione ſua & lætitia continet: & ſolidos efficit. Proinde vehementiùs exhilarabit, & efficaciùs cordi auxiliabitur.

De Zedoario.

ZEDOARIVM, vtrunque eſt ex calfacientium & ſiccantium ordine tertio: inéſtque cum eſſentiæ tenuitate adſtrictio: quæ vnà cum odore ſimul ac proprietate cordi robur adferunt. Sed domeſticum id præſtantiùs efficit: ideóque miſcetur antidotis. Præterea, quoniam eſſentiæ ſpiritus mirè conuenit, naturalem quoque in iecore conſiſtit, recreat, fouétque. Quare in album eorum referendum cenſent, quæ obeſos reddant homines.

De

De Antidotis.

EXPOSITIS ſimplicibus medicamentis, quæ cordi vtilia ſunt, optimum erit, de compoſitis aliquid ſcribere. Primùm verò de antidotis Mithridatis atque magnæ Theriaces diſſerere conuenit: quarum laudes omnium celebratiſsimæ habentur. In hominum vita temperanda, corde roborando, ſpiritu recreando, ac fouendo, viſceribus cunctis auxiliando, prætereà omnem animi triſtitiam abigunt: nubiláque eius ſerenant ac tranquillant: veneníſque omnibus aduerſantur: & beſtiarum percuſsibus medentur generoſiſsimé. Verùm vtriuſque antidoti vires aliquatenus compertas habemus, aliquatenus verò ignoramus. Eſt autem id quod nos latet, vis illa admirabilis: quæ poſt temperationem & miſturam ipſis aduenit. Quod verò nobis cognitum, eſt natura ſimplicium, ex quibus conſtant & concinnantur. Exempli cauſa: Si dixero me exactè facultates noſſe aut Mithridatij antidoti, aut Theriaces, itémq; veneno viperæ & ſcorpionum aduerſari, quoniam ex iis componantur, quæ tales obtineant vires: quin & cordi cæteríſque viſceribus prodeſſe opitularíque, quia ſcilicet commiſta contineant quæ his viſceribus conferant: profectò meritò cenſebimur tenere ad vnguem horum medicamentornm potentias. Adhæc, ignoramus cauſam, qua quantitas ſimplicium inueniri in his potuit: vt ſic bellè temperarentur, & mutuò reſponderent. Veritatis interpretes exiſtimarunt tam exactam huiuſmodi

conſe

confecturæ rationem cœlitus diuinitúsque nobis donatam: nec potuisse (vel quamuis sedula hominis cura) inueniri. cur autem recentes inefficaciores sunt, alibi diximus. Certum est Theriacen diutius asseruatam, excellentiorem esse.

FINIS.



Lugduni,

TYPIS NIC. EDOARDI, CAMPANI, ANNO DOMINI M. D. LIX.